



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Avxitano Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

subtracto de medio, Subdiaconus memoratus nobis exposuit se habere præfatum Abbatem certa ratione suspectum, nobis humiliter supplicans ut loco præfati B. subrogare alium dignaremur. Nos igitur attendentes nullum ex hoc præjudicium parti alteri generari, ut iudicium sine suspitione procedat, te, fili magister Arnalde, obtentu prædicti O. loco præfati B. duximus subrogandum, per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes quatinus in ipso negotio juxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota, ratione prævia procedatis. Quòd si alteruter vestrum his exequendis noverit vel nequiverit interesse, loco ejus à parte sua infra triduum alius eligatur; & si pars illa noluerit eligere, vel electus ab ea procedere non curaverit, residuus nihilominus in causa procedat. Nisi verò tu, fili Arnalde, simile præstiteris juramentum, tu, fili magister Nicolae, à juramento quòd præstitisti te noveris absolutum. Datum Laterani 11. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno quartodecimo.

AUXITANO ARCHIEPISCOPO.

Sicut is qui sufficiens est ad curam sollicitudinis pastoralis, si forsan episcopatum affectet, desiderat bonum opus, sic is qui non sufficit ad hujusmodi oneris sarcinam supportandam, utiliter sibi consulit, si eandem priùs cautè deponat quàm sub ea in suum & aliorum dispendium comprimat. Cum igitur ad pontificalis curam regiminis cognoscere te debeas minùs aptum, fraternitatem tuam rogamus attentius & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus salutem tuam & aliorum lucris temporalibus anteponens, & compatiens nihilominus contritioni Ecclesie Auxitanæ, quæ sub tuæ provisionis umbra in temporalibus & spiritualibus graviter est collapsa, pontificalem curam spontaneus resignare procures, ut ex hoc divinam & apostolicam gratiam tibi valeas comparare. Alioquin, cum tam tuæ salutis quàm Ecclesie memoratæ utilitati ex apostolica teneamur servitutis officio providere, super hoc, prout expedire viderimus, disponemus. Datum Laterani xvii. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

In eundem modum scriptum est Episcopo Valentiniensi. Scriptum est etiam in eundem serè modum venerabili fratri Vicensi Episcopo & dilecto filio Abbati Cisterciensi apostolicæ sedis Legatis, ut dictum Archiepiscopum ad id mo-

neant efficaciter & inducant. Datum ut in alia.

In eundem modum scriptum est sicut in prima Episcopo Ruthenensi usque procores, cum jam dudum ad tuam instantiam cecidisti tibi licentiam per nostras duxerimus litteras concedendam. Alioquin, ne videaris nobis forsitan illuisse, venerabili fratri nostro Vicensi Episcopo & dilecto filio Abbati Cisterciensi apostolicæ sedis Legatis litteris nostris injungimus ut te ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum ut in alia.

Scriptum est ipsis Legatis in eundem serè modum super hoc. Quòd si non ambo &c. aliter &c. Datum ut in alia.

**VTICENSI EPISCOPO
apostolicæ sedis Legato.**

Cum venerabilis frater noster Carcassonensis Episcopus, supportare nequens sarcinam sollicitudinis pastoralis multis incommodis & defectibus præditus, officij sui curam resignare disponat, sicut per tuas litteras nobis intimasti, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus cessionem ipsius accipiens vice nostra, ipsum à cura Ecclesie Carcassonensis absolvas, ejusdem Ecclesie Capitulo injungendo ut infra octo dies post commotionem tuam cum tuo consilio talem sibi personam eligant in pastorem per quam hoc tempore maximè Carcassonensis Ecclesie utiliter consulatur, alioquin ex tunc personam idoneam appellatione remota præficias Ecclesie memoratæ, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum ut in alia.

Scriptum est super hoc Carcassonensis Capitulo in eundem serè modum usque compescendo. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus talem vobis personam juxta præscriptam formam eligatis canonicè in pastorem quæ tanto congruat oneri & honori. Datum ut in alia.

**VTICENSI EPISCOPO
& Abbati Cisterciensi apostolicæ
sedis Legatis.**

Præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatinus comitatum Melgoriensem, qui beati Petri jura existit, in vestris recipiatis manibus, & tamdiu faciatis fideliter custodiri donec super eo nostræ rescripserimus beneplacitum voluntatis. Datum ut in alia.

*Epist. 32.
Ut cedat oneri
episcopali.
Vide lib. 5.
epist. 96. & lib.
16. epist. 5.*